



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro tentationum & peccatorum tutela, alia ad eandem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

qualem tantæ reginæ decet esse seruulum, castum videlicet, humilem, mansuetum, piûm, obediens, simplicem, diuinique amoris facibus, accensum. Quod per te mihi præstare dignetur Iesus Christus filius tuus, Amen.

Pro peccatorum expiatione alia ad eandem breuior precatio.

O Gloriosissima & inenarrabilis omnium creaturarum dignissima, sola post Deum proxima, ab æterno præelecta, omnique virtutum & gratiarum plenitudine copiosissime superflua, domina mea superdulcissima virgo Maria, ob singularem illum amorem, quem erga genus humanum, singulariter verò erga peccatores, afflictos, & miseros semper geris, te humiliter oro & suppliciter pietatis tuæ deprecor viscera, vt omnium peccatorum meorum præteritorum indulgentiam & veniam impetrare à dilectissimo tuo filio Domino nostro Iesu Christo digneris, atque abundantissimis meritis tuis interuenientibus perfecte in eius me gratiam restituas, gratiamque copiosam mihi obtineas, per quam de cætero ab omni me peccato liberum & immunem seruem, tuamque ac filij tui integerrimæ vitæ omnem meam conuersationem conformem, atque in omnibus sanctissimæ tuæ volûtati me subiiciam, Amen.

Ad B. Virginem Mariam, pro vitiorum mortificatione, precatio.

O Dulcissima virgo Maria, per virtutem sanctissimæ & integerrimæ tuæ puritatis te humiliter oro, vt gratiam mihi impetres à dulcissimo filio tuo, vt eum in me mortificandi & occidendi hominem, cum omnibus actibus actōcupiscentijs suis, atque sine omni quærela, castè, piè religiosèque viuendi in hoc seculo. Expelle à corde meo, ô pia mater, omnes passionum improbos motus & cogitationum malarum importunos tumultus, & redde mihi veram pacem tranquillitatemque pectoris, ac mentis iam dudum amissam puritatem, Amen.

Ad eandem B. virginem Mariam, pro tentationum & peccatorum tutela, precatio.

O Inclita & excellentissima Dei genitrix virgo Maria, deprecor pietatem tuam ineffabilem, & admirabilem tuam excellentiam, per quam naufrago mundo salus orta est, vt te mihi miserabili, piam atque benignam matrem in omni tentatione & dæmonum impugnatione exhibere digneris, atque semper & vbique gratia tua me protegere ac defendere, ne blanditijs malorum spirituum seducar, aut in peccatorum consensum pertrahar Amen.

Ad eandem B. Virginem Mariam, pro peccatorum præseruatione, precatio.

O Excellentissimæ dignitatis mater Dei, virgo Maria, obsecro te, per singularem illam præminentiam tuam, qua cunctis mortalibus præstas, vt pote munda & immunis ab omni contagione peccati, libera & custodi me ab omni peccato. Aufer quicquid oculis tuis in me displicet, & tribue quicquid placet, & perduc me ad statum viuendi tibi gratissimum & mihi saluberrimum, Amen.

Ad eandem B. virginem Mariam, pro extinctione omnis mundani amoris, precatio.

O Excellentissimæ dignitatis Mater Dei, virgo Maria, obsecro te, per singularem ac ineffabilem præminentiam tuam, qua cunctis mortalibus præstas, vt pote electissima virgo perpetua, & mater non cuiuscunque hominis, sed filij DEI, extingue penitus à corde meo omnem tam carnis, quam mundi amorem, & reple illud castissimo amore tui, quo ad placendum tibi purissimam castitatem animæ & corporis, & in alijs omnibus gratissimam tibi exhibeam seruitutem, Amen.

Phare-